



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm
Tomus ...**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Disputatio IV.De Effectu Sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82982)

DISPUTATIO IV.

De Effectu Sacramentorum.

Duplex Sacramentorum est Effectus, primus Gratia, secundus Character. Primus effectus singulis Sacramentis novæ legis convenit, secundus aliquibus.

DIFFICULTAS I.

Suadetur permanentia Gratiarum Sacramentalium distincta à Gratia habituali.

QUÆSTIO I.

De effectu Sacramentorum qui est Gratia.

Non est difficultas in hoc, quod Sacramenta omnia conferant gratiam sanctificantem, est enim hoc de fide ut vult Suar. disp. 7. Sect. 2. Nec salvari posset effectum Concilii, quod Sacramenta contineant gratiam quam significant; nec est in hoc difficultas, quod Sacramenta habeant proprias Sacramentales gratias, quas efficiunt, in qua etiam re conveniunt omnes Theologi, ut videre est apud Suar. citatum, Sect. 3. Rationemque dat, quia Sacramenta omnia ad diversos fines ordinantur, frustra que fuissent multiplicata, si non afferrent proprias gratias. In hoc est difficultas, in quo differat hæc gratia sacramentalis, ab habituali.

Invaluit sententia quæ non tenet gratiam Sacramentalem, aliud superaddere gratiæ communiter dictæ, quam quod addat aliud speciale auxilium gratiæ, ordinatum ad proprium finem Sacramenti; ita docet Suar. Vasq. Val Lugo, DiCast. Tann. Hurt. estque communis; unde negant quod gratia Sacramentalis addat aliquid habituale.

Gratiam autem Sacramentalem addere aliquid habituale, est Conclusio Paludani in quartum disp. 2. q. 3. Capreoli in quartum dist. 4. q. 1. a. 3. ad quartum; dicit tamen illorum sententiam, jam diu à schola merito rejectam esse Vasq. eo quod multiplicentur gratiæ absque fundamento & necessitate; videndum ergo erit an sit necessitas, has gratias multiplicandi.

PRIMA RATIO est ab Autoritate.

Prima Autoritas est Concilii Florent. Per Baptismum, inquit, renascimur; per confirmationem roboramur in fide, & augemur in gratia; renati autem & roborati, nutrimur divina Eucharistia alimonia; per poenitentiam spiritualiter sanamur.

Secunda Autoritas est Trident. Sess. 7. c. 7. Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta, semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliis quibus, anathema sit.

Ex quibus duabus Autoritatibus sic formatur Argumentum; Est de Fide per Florentinum, dari gratias proprias istorum Sacramentorum, quia illas numeravit Florentinum, ergo illæ gratiæ debent esse habituales; quod jam probatur ex Tridentino. Si istæ gratiæ propriæ Sacramentorum non essent habituales, non esset de illis verum dicere; dantur semper in collatione Sacramentorum, sed tantum dantur interdum, aut dabuntur; hoc non potest dici per Tridentinum; ergo. Sequela probatur: quia jam illæ gratiæ Sacramentales essent actuales, ut farentur oppositi, sed gratiæ actuales non dantur semper, ergo non dantur gratiæ Sacramentales semper, quod est contra Trident. Minor probatur, quia fieri potest ut recipiat aliquis baptismum infans, vel adultus perpetuò tamen amens, qui tamen non sunt capaces actualis auxilii tunc oblato, ritè tamen per omnes hæc Sacramenta recipiunt, alias illis administrari non deberent; idè contingit, si homini extra se posito conferatur extrema unctio, quia etiam hic, incapax est, actualis auxilii; ergo illi tunc non confertur gratia Sacramentalis, quod non est conforme Tridentino.

RESPONDEBIS. Sufficit dari, vi illius infusionis gratiæ habitualis per Sacramentum, jus ad gratias.

Con.

CONTRA Tum quia Concilia loquuntur non de jure ad gratias, sed de gratis: ergo explicatio illa non accipit phrasas, ut sonant Conciliorum. Tum quia, jus quidem ad gratias, est præfens, sed gratiæ non frequenter præfentes; ergo non ostenditur gratias semper & omnibus dari Sacramentales, si ritè Sacramenta suscipiantur, quod voluit Trident. Tum quia, sicut quando confertur vi baptismi jus ad recipienda alia Sacramenta, non censentur ex eo conferri tunc Sacramenta; ergo etiam ex eo, quod conferatur jus ad gratias actuales, quæ per oppositos sunt Sacramentales, non censébitur conferri tunc illas gratias; & tamen illas gratias dari definit Tridentinum, exigitque hoc natura causæ necessariæ, operantis semper, dum adsunt prærequisita, Sacramenta autem sunt causæ necessariæ.

TERCIA AUTHORITY est S. Thomæ, clareque consentit Valentia S. Thomam id docuisse indistinctionibus, sed aliud sensisse in tertia parte sed an etiam in tertia parte aliud senserit, mox videbitur.

PRIMUS LOCUS est in quartum dist. 1. q. 1. a. 4. quæstiuncula 5. ubi opponit sibi hoc argumentū. Videtur quod gratia, quæ est in Sacramentis, non differat ab illa, quæ est in virtutibus & donis, gratia enim, quæ est in Sacramentis, est gratia gratum faciens &c. hæc autem est una tantum &c. ex unitate subjecti, &c. & ex unitate effectus, quod est. Deo acceptum facere. Responder S. Thomas Gratia gratum faciens prout est in essentia animæ, est una, sed secundum quod fluit, ad defectus potentiarum tollendos, & potentias perficiendas, multiplicatur.

Ex quo loco sic arguitur: Si Gratia Sacramentalis non esset aliud, nisi ipsa gratia prout dicit ordinem ad varia Dei auxilia, non posset dici gratia multiplicata, sed ut volunt oppositi eadem, & tamen per S. Thomam est gratia multiplicata; & sicut habente se uno relationis subjecto, ad diversos terminos, non dicitur ipsum fundamentum multiplicari, ita nec dicitur multiplicari gratia, dicens diversos ordines, aut auxilia, & tamen per S. Thomam, multiplicatur, quantum ad defectus potentiarum tollendos, & potentias perficiendas Sacramentaliter.

SECUNDUS LOCUS est S. Thomæ ibidem ad tertium; proposuit enim sibi tale argumentum. Idem est motus in natura à termino ad terminum, sed gratia Sacramentalis ordinatur contra peccatum, gratia autem vivorum, ad perficiendam animam & Deo jungendam; ergo est una gratia in Sacramento. Ubi respondendo S. Thomas, non dicit esse unam gratiam, ut per oppositos est una, sed dicit recessus à peccato, prout opponitur virtuti, & accessus ad perfectionem virtutis, pertinet ad eandem gratiam; non autem recessus à peccato secundum quod vulnerat animam, quia respicit specialem medicinam, sicut in morbo etiam corporali patet.

Ex quo hoc sic arguitur; Per oppositos gratia Sacramentalis sanativa, pertinet ad eandem gratiam, non pertinet per S. Thomam. Rursus; non ita se habet gratia Sacramentalis sanativa vulnerum animæ, sicut se habet gratia, in quantum dicit recessus à peccato & accessus ad virtutem; ergo cum hæc gratia sit distincta non nisi ratione diversi ordinis, dicti ab eadem Entitate gratiæ, gratia Sacramentalis non erit distincta per hos solos ordines, sed habebit specialitatem suam, non in ordine supernaturalis, quia hanc specialitatem dicit etiam gratia secundum se; ergo specialitatem Entis, sicut specialitatem medicina habet, per ordinem ad distinctos morbos.

Tertius locus est ibidem in (·) Gratia gratum faciens est una, & est in essentia animæ, sicut in subjecto, & ab illa fluunt virtutes & dona ad perficiendum potentias animæ, sicut etiam potentia fluunt ab essentia; & similiter etiam illa gratia quæ est in essentia animæ, effluit aliquid ad reparandum defectus, qui ex peccato inciderunt &c. Gratia Sacramentalis &c. non potest esse sine gratia, quæ respicit essentiam animæ, sicut virtutes, sed tamen gratia, quæ est in essentia animæ, non potest esse sine virtutibus &c. potest autem esse, sine gratia Sacramentali, & ideo gratiæ Sacramentales, connexionem habent.

Ex quo loco sic arguitur; Magis distinguitur gratia, ab ea gratia, sine qua esse potest, quam ab illa gratia sine qua esse non potest; ergo si à virtutum gratia, sine quibus gratia esse non potest, si inquam ab illis in communi sententia distinguitur realiter, multo magis distinguetur realiter à gratia Sacramentali, & si per S. Thomam gratia, quæ est in essentia animæ, non habet connexionem cum gratia Sacramentali, nec habebit identitatem, quam tamen adstruunt oppositi.

Quartus locus ex tertia parte q. 62. a. 2. in (·) Ubi reassumit S. Thomas proportionem gratiæ Sacramentalis cum virtutibus, ergo si hæc distinctæ sunt realiter, ut supponitur, etiam gratiæ Sacramentales distinctæ erunt realiter; hinc si putetur S. Thomas in libris sententiarum scribens, tenere alietatem realem gratiæ Sacramentalis, à gratia habituali, etiam hic dicendus est tenere, cum idem fundamentum repetat. Inibi ponit hæc verba; *Ordinantur autem Sacramenta ad quosdam speciales effectus*, hic autem ad primum repetit, *quantum inquit ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana requiruntur Sacramentalis gratia.*

Ex quo loco sic formatur argumentum. Distinctio realis principiorum arguitur ex specialitate effectuum, si cætera adsint, unde etiam distinctio elementorum, habituum, ex actibus

* (N) 2

& ef-

& effectibus dignoscitur; ergo cum speciales effectus habeant gratiæ Sacramentales, & cum aliunde constet eas distingui, distinguuntur realiter.

QUINTUS locus est ex Respōsione ad tertium. Obiecit sibi sic S. Thomas; Omnis, inquit, additio, vel subtractio in formis variat speciem, si ergo gratia Sacramentalis addit aliquid supra gratiam virtutum & donorum, sequitur quod æquivocè dicatur gratia. Respondet S. Thomas, quod, inquit, ratio Sacramentalis gratiæ, se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus ubi, ut vides, struit S. Thomas Categoriā gratiæ; ponit ut sic gratiam, postea gratiam habitualement, & gratiam Sacramentalem.

Ex quo sic arguitur; Nulla species est distincta realiter ab alia specie; ergo si gratia Sacramentalis, ad gratiam habitualement habet se, sicut species conveniens in ratione communi gratiæ, necessariò distincta erit realiter.

RESPONDEBIS. Admitti distinctionem realem ratione auxiliorum, non autem ratione ipsius gratiæ.

CONTRA. Quia ut dictum supra, ipsum auxilium non potest esse gratia Sacramentalis; ergo si datur distinctio realis gratiæ Sacramentalis ab aliis gratiis, illa non erit ratione auxilii. Rursus hæc quæ sunt remediativa ad defectus potentiarum tollendos, censentur esse habitualia, neque enim id actibus convenit propriè; ratio item medicinæ aliquid permanens significat; proportio cum potentiis animæ effluentibus, in sententiā, ut supponitur S. Thomæ requirit permanentiam, &c. Virtutes item profluente de gratia, cum quibus gratiæ Sacramentales dicunt proportionem, sunt quid permanentes.

PROBATUR Secundò. Est certum dari infallibiliter gratias Sacramentales accedentibus sine obice; certum est has gratias Sacramentales esse distinctas ab habituali; non implicat item habitus gratiæ Sacramentalis, condistinctus à gratia justificante, cur ergo potiùs non dicatur gratias Sacramentales in se ipsis distingui. Rursus gratia donorum, est gratia distincta ab habituali realiter, ut communiùs tenetur; ergo & gratia Sacramentalis erit distincta realiter.

RESPONDEBIS ex Lugo. Deberent dari hæc gratiæ distinctæ, quod tamen non videtur admittendum.

CONTRA. Cur non deberent admitti, cum ita faciliùs explicetur, quod à Sacramentis confertur specialis gratia.

PROBATUR Tertiò. Tum quia si gratia Sacramentalis non esset gratia realiter distincta à gratia habituali, esset ipsamet gratia habitualis, prout dicit ordinem ad auxilia specialia nunc hæc, nunc illa, sed gratia Sacramentalis, non est gratia habitualis dicens ordinem ad diversa auxilia; quod probatur: quia vel esset illi hic ordo

essentialis & intrinsecus, vel esset ex intentione Dei, dantis hanc gratiam, hac intentione, quid enim tertium? Neutrum autem tenet, quia si hic ordo est essentialis & intrinsecus, jam erit distinctio realis inter gratiam Sacramentalem & habitualement: quia quorum unum dicit unum ordinem intrinsecum & essentialem, & aliud non dicit, distinguere debent realiter, conveniunt enim illis prædicatā diversa, eaque primò intentionalia & physica; si autem hic ordo, est non nisi ex intentione Dei dantis hanc gratiam, ut dicat hunc ordinem, non potest intelligi, qui faciat Deus suā intentione, ut illa gratia dicat ordinem, cum ordo ille sit intrinsecus, nec quid distinctum realiter à gratia. Tum quia ille ordo in re nihil aliud est, nisi exigentia dationis illorum auxiliorum, quomodo autem dicit in se illam exigentiam, per solam extrinsecam intentionem Dei, eā intentione illam dantis; & qui sola obligatio Dei, obligantis se ad hoc, non est gratia Sacramentalis, hæcque obligatio ad gratiam Sacramentalem connotat aliquid futurum, cum tamen sit de fide, dari illam sine obice sufficientibus, non autem dandam esse; & si ponatur illa gratia esse complementum decreti Dei decernentis dari auxilia talia, jam illud complementum, utpote per multos essentialiter conexum cum tali decreto, deberet in sua essentia aliquid habere, quod non habet gratia habitualis, quæ de se, non est hoc complementum. Non poterit item ostendi diversitas in ipsa gratia in hac sententiā, sed tota diversitas erit penes actus divinæ voluntatis hac vel ea intentione dantis gratiam, jam autem per fidem debet esse diversitas in gratia Sacramentali. Tum quia sicut cum dat Deus gratiam, primò intuitu attritionis Sacramentalis, & dum dat gratiam intuitu contritionis, est quidem diversitas in intentione divina secundum intuitus illos operantis, sed non est diversitas in gratia, & tamen diversitatem in gratiis Sacramentalibus agnoscunt omnes.

RESPONDEBIS ex Lugo. Omnis gratia Sacramentalis de se exigit auxilia ad resistendum temptationibus; quare poterit Deus dare hanc gratiam generali quidem intentione propter omnem operationem bonam, peculiari autem propter operationes honestas in hac materia.

CONTRA. Quia relictum argumentum; vel hic ordo ad alias operationes est intrinsecus vel non? Rursus ostenditur intentio Dei alia, sed hæc non est gratia Sacramentalis præiens.

Quamquam videtur hæc responsio esse pro alio argumento, non pro hoc directè.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT primò Suar: Quia vel talis habitus esset in essentia animæ, vel in potentiis. Non primum; quia ad sanctificandam animam sufficit gratia. Non secundum, quia in potentiis solum infundatur habitus, qui sint principia supernaturalia supernaturalium actuum, sed per virtutes Theologicas & morales sufficienter ad hoc providetur.

RESPONDETUR. Cum per nos Anima à suis potentiis indistinguishatur realiter, omnes illi habitus recipiuntur in essentia animæ; quod si quæras, ad quid ordinetur illa specialis gratia, non ad dandam constitutionem in esse filii Dei, quia hæc habetur à gratia habituali, nec ad operationes illas honestas, quia ad has providit Deus habitus virtutum, erit ergo gratia illa Sacramentalis qualitas quædam divina & supernaturalis, exigitiva illorum auxiliorum de se, quæ auxilia ponit communis sententia, non referendo illam exigentiam in ipsam gratiam habitualem, ob rationes allatas, non in intentionem Dei ob dicta ibidem, sed referendo id in ipsam, quæ vi ipsius Sacramenti de præsentī infunditur, gratiam; vel si vis, (quod commodius est propter inferius dicenda) pone qualitatem, quæ est regeneratio spiritualis, & erit hæc gratia baptismalis; pone qualitatem spiritualem roborativam, Nutritivam &c. breviter referendo id in qualitates, quod numerat Trident. sub nomine gratiarum Sacramentalium.

OBJICIT Secundò Vasq. Hæc sententia absque fundamento & necessitate multiplicat hos habitus.

RESPONDETUR. Esse necessitatem, ut ostendatur gratia Sacramentalis, quæ de præsentī conferatur accedentibus sine obice, & ob alias allatas.

OBJICIT Tertiò Lugo, Autoritatem S. Bernardi, qui Serm. de Cæna Domini dicit, diversas gratias respondere diversis Sacramentis, & in speciali Eucharistiæ, quod non sentiamus vehementes iræ, invidiæ, &c. motus, quod ipsum non facit Eucharistia nisi mediâtè, mediântibus scilicet auxiliis.

RESPONDETUR. Hunc effectum non esse primum Eucharistiæ: quia ille non haberetur in infante, si illi daretur Eucharistia; & tamen illa deberet habere eundem effectum, quem id ad ulto; essetque hic effectus futurus, non præsens, cum scilicet occurrerent tentationes, & tamen per Trident. ostendendus est effectus præsens.

INSTAT Primò. Suffecerit dicere gratiam Sacramentalem esse moraliter diversam, propter titulum quem affert ad peculiaria auxilia.

RESPONDETUR. Debere esse diversam physicè: quia nisi hæc diversitas ponatur, non ostendetur, quæ causetur de præsentī, gratia Sacramentalis, sed recurri debet ad mentem Dei hac intentione dantis gratiam, quæ mens Dei, non est gratia Sacramentalis; vel recurri debet ad aliquid futurum.

INSTABIS Secundò, ex iis quæ affert Lugo. Quia illa gratia Sacramentalis, ex eo deberet esse distincta specie ab habituali; quia diceret ordinem, quem non dicit gratia habitualis: sed id non probat distinctionem specificam, quia lumen gloriæ unum, non differt specie ab alio, licet habeat determinatum ordinem, ad videndas has creaturas.

RESPONDETUR. Etiam lumen, si haberet ordinem ad has in individuo præsentandas Creaturas, distinguisheretur specie ab alio lumine; & licet relatio ad unum principale faciat aliqua indistinguishi formaliter, id tamen tunc contingit, quando in cæteris est solum per accidens differentia; ordo autem ille non esset per accidens, sed essentialis, quia respondens Sacramentis, quorum unum non est aliud.

INSTABIS Tertiò ex eodem. Si gratia Sacramentalis esset distincta specie à gratia habituali, sequeretur non posse ex utraque resultare unam gratiam intentam.

RESPONDETUR. Per Sacramentum duplex datur gratia, & habitualis, ut est de Fide, hæcque auger præcedentem habitualement; & datur etiam gratia Sacramentalis, quæ non intendit quidem per se habitualement, intendit tamen sibi similem, v.g. Eucharisticam, si præcesserit; unde etiam S. Thomas, ut vidimus supra, non posuit connexionem inter gratiam habitualement & Sacramentales.

OBJICIT Quartò. Tannerus per habitus gratiæ & virtutum, sufficienter informatur animæ ad sanctitatem, & potentia ad rectè operandum; ergo non requiritur ulla alia gratia.

RESPONDETUR. Licet ipsa gratia & habitus virtutum deposcant auxilia à Deo actualia, nihilominus ponit alias distinctas gratias Sacramentales Tannerus; ita poni poterit & qualitas distincta gratiæ Sacramentalis; hinc Sacramentalem perficientiam v. g. nutritionis spiritualis Eucharistia, proportionaliterque alia Sacramenta exigunt; gratia autem esse filii Dei, & virtutes in esse operativi constituent.

OBJICIT Quintò Di Cast. Sufficit ut gratia Sacramentalis, à gratia communi distinguishatur per curationem animæ.

RESPONDETUR. Hoc ipsum salvari non poterit, nisi ponatur gratia Sacramentalis distincta entitative, nisi referendo hanc gratiam in aliquid futurum contra Tridentinum, vel referendo hanc gratiam in aliquid extrinsecum, hoc est, decretum Dei, quod non est gratia Sacramentalis.

OBJICITUR Sexto ex Hurtado. Si gratia Sacramentalis, est, ut dictum, specialis exigentia talium auxiliorum, illa vel sunt efficacia, vel sufficientia; non efficacia, quia alias habens gratiam extremam unctionis, nemo moriens in tentatione deficeret; non sufficientia; quia non satis apte institueretur peculiare instrumentum, quo applicarentur merita Christi ad auxilium, quod nullum est habiturum effectum.

RESPONDET Primò Hurtado. Sacramentalem gratiam esse exigentiam specialem efficaciam auxiliorum; unde etiam Trident. Sess. 13, c. 2. tribuit Eucharistiæ præsertionem à mortalibus, quod non fit, nisi auxilio efficaci: ita tamen Christus annexit auxilia efficacia, ut non conferantur infallibiliter, sed tantum pro libitu Dei:

NON SATISFACIT hæc Responsio: quia non est conformis Trident: si enim pro libitu Deus dat illa auxilia; ergo non semper, nec unicuique sine obice suscipienti; & si per Hurtado, non satis essent commode instituta Sacramenta, si merita Christi applicarentur ad dandum auxilium, nonnisi sufficiens, ita nec essent debite instituta, si ordinarentur ad auxilia efficacia; sed nonnisi pro libitu Dei danda, tam enim non facit actu operari auxilium sufficiens, quam non facit auxilium efficax, si pro libitu non detur.

RESPONDERI potest secundo ex Lugo. Per gratiam Sacramentalem non dari specialem exigentiam auxiliorum efficaciam, alias confirmatus nunquam negaret fidem; non sufficientiam, quia exigentia auxiliorum sufficientium est communis unicuique gratiæ habituali, sed datur tantum jus ad uberiora auxilia. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT: Quia non supponit distinctam gratiam Sacramentalem ab aliis, & quia illam exigentiam refert in merum decretum Dei, quod alias impugnatum.

RESPONDETUR Tertio. Possè concedi, sicut in diversis virtutibus diversa dantur exigentia gratiarum, ita & hic dari diversas exigentias gratiarum Sacramentalium; unde salvabitur imprimis præsens effectus Sacramenti, nempe infusio qualitatis illius gratiæ, præsens item exigentia auxiliorum, licet non pro præsentis; præcipue autem, quia ista exigentia non est primarius effectus gratiæ Sacramentalis.

OBJICITUR Septimò. Inexplicatum relinqui in quonam primario stent illæ gratiæ Sacramentales.

RESPONDETUR. Stant in illo (Theologicè respondendo) quod numerat Florentinum, id est in renascentia spiritali, in roboratione & nutritione, &c., scholasticè.

Explicatur ratio harum Gratiarum.

PRÆMITTO Primò. *Ut rebus corporeis & sub*

sensus cadentibus proportionentur spiritalia, oritur id ex eo. Imprimis quia cum intellectivum nostrum, sit essentialiter ordinatum ad corpus, etiam operativum nostrum proportionatur, ut esse, dependens est à corporeis, ex qua dependentia imbibita, nullum actum potest formare mens suo principio inaccommodatum, hoc ipso enim vel supra sphaeram, vel infra ageret, adeoque nec ageret; nihil enim supra se, vel infra se est, adeoque nec supra, nec infra se (nisi forte elevata aut moraliter facit), unde fit ut etiam spiritalia non cogitet, nisi conformando se materialibus & corporeis; sed talis accomodatio noscibilium spiritalium ad proportionem sensibilibus. oritur ex ipsa imperfectione principii, essentialiter ad corpus ordinati; experimur hoc si utamur inspiculis viridibus, omnia enim tunc aspicienti viridia videbuntur, discernitque rubrum, sed, ut ita dicam, viridatum: sic etiam in præsentis; discernit quidem mens quod spirituale, non sit materiale, hoc ipsum tamen spirituale, ob imperfectionem sibi allinitam ex ordine ad corpus, non percipit aliter, nisi sub conditione proportionis eque corporei.

PRÆMITTO Secundò. *Ex alio etiam fonte transferri materialium proportionem ad spiritalia, scilicet ex exigentia ipsius Objecti spiritualis, facientibus scilicet id spiritalibus, quod facerent materialia & sensibilia, sed eminentiori longe ratione; sic v. g. inter materialia est extensio localis, hanc habent etiam, sine ulla materialitate Angeli; motus item localis in nobis est materialis, neque enim anima motu spiritali progreditur in corpore, à termino ad terminum, & tamen & sphaera locabilitatis, & motus localis tribuuntur Angelis.*

PRÆMITTO Tertio. *Etiam si spiritalibus ea quæ sunt materialia & sensibilia proportionate tribui possint, non tamen omnia; & sic, nemo ponit scammum spirituale, aut hyemem in angelis.*

PRÆMITTO Quarto. *Dandum esse regulam, quam possint illis tribui, ex proportionem ad materialia; & prima quidem est Negativa, ut id non implicet. Secundò ut contineant perfectionem spiritui etiam consonam, adeoque in conceptu secundum se non involvant corporeitatem & materialitatem. Ratio: quia & posset tribui exigentia illius perfectionis spiritui, ut supponitur, de hac enim loquimur; & non posset tribui, quia exigentia spiritus, non potest esse, nisi ad sibi proportionata, non autem ad imbibentia nonnisi corpus, quia illis imbibentibus ita essentialiter materialitatem, nec adesse suum intelligent spiritalia, hoc ipso enim non essent spiritalia, nec adoperari, quia extra sphaeram operarentur; & ita altissima spiritualitas est in Deo, & tamen reperitur in divinis generatio, eo quod conceptus illius, non imbibat in se, materialitatem aut sexum.*

PRÆMITTO Quintò. *Assumendo hoc principium:*

*pium; Spiritualia præstant hoc & exhibent altiori modo, quod præstant & exhibent corporalia, & Principium Non implicat; sic dici posset; Non repugnat qualitas spiritualis sacra, quæ præstet hoc, quod præstet renascentia materialis, quæ enim in hoc est implicatio? accedit autoritas Florentini dicentis per baptismum nos spiritualiter renasci, & si invenitur nascentia spiritualis, cur non renascentia, & quidem sub titulo renascentiæ; & hæc gratia renascentiæ spiritualis erit gratia baptismalis stans in hoc, quod penetratis illius qualitatis prædicatis deveniatur, quod hæc qualitas sit nata dari, tanquam iteratum donum, post amissam in capite innocentiam. Non repugnat item gratia, quæ hoc præstet Spiritui, quod roborativum, quod nutritio corporalis; respondebitque gratia confirmationis & Eucharistiæ. Nec repugnat qualitas spiritualis, quæ datis defectibus, qui sint morbi spirituales, sit eorum sanativa; & hæc erit gratia propria poenitentiae. Qualitas item spiritualis potestatis; nam etiam Angeli appellantur Potestates, & hæc erit qualitas Ordinis, vi cuius habetur potestas in Corpus Christi Mysticum & reale; nec repugnat qualitas spiritualis animativa ad pugnandam in agone; & hæc erit gratia Unctionis, eritque distincta à gratia roboris; sicut in humanis, aliud est esse robustum, aliud animosum; vel dic distinguui illas gratias objectis, nam gratia Confirmationis respicit difficultatem circa professionem Fidei coram Tyranno, hæc respicit difficultates agoniae, & insidias demonis, in illo puncto. Denique qualitas, affectione alligativa duorum quantum ex illa, & hæc erit gratia Sacramentalis Matrimonii; licet ad has gratias consequantur postea auxilia Dei. Erunt autem hæc gratiæ distinctæ ab ipsis characteribus quos imprimunt ipsa Sacramenta, quia illæ gratiæ non dantur iis qui accedunt cum obice, datur character. Rursus character est signum actionis Sacramentalis peractæ circa se, & recepti Sacramenti, illa autem gratia, est effectus peracti Sacramenti, &c. denique character non deletur, de gratis autem Sacramentalibus hoc non asseritur. *Hic præmissis**

Explicatur Gratia Sacramentalis. Per res corporeas cognoscimus spirituales, interdum ex imperfecto modo nostro operandi, ut dixi Præmissis primo; interdum ex exigentia Objecti, transferendo materialia ad spiritualia, ut dixi Præmissis secundo, quæ translatio non potest in omnibus fieri, ut dixi Præmissis tertio; sed in istis quæ non implicant, & materialitatem in se imbibitam non habent, ut dixi Præmissis quarto; quia autem non repugnat gratia quæ sit spiritualis renascentia, spirituale robur, resectio spiritualis; ideo gratiæ Sacramentales, erunt tales gratiæ & tales qualitates, adjuncta sibi exigentia actualium auxiliorum. Et si est tanta

varietas in ipsis laureolis & characteribus, ita ut Character baptisati ex multorum sententia non sit character confirmati, poterit etiam dari varietas in gratis Sacramentalibus, ita ut gratia renati, quæ talis, non sit gratia confirmati quæ talis.

Addo per has gratias Sacramentales non reddendam evanidam gratiam habitualementem & virtutum, quia prior illa erit constitutiva in esse Filii Dei, adeoque & auxiliorum sub hac formalitate exigitiva; gratiæ autem virtutum, erunt principia ab intrinseco operandi, auxiliorumque ad hoc exigitiva sibi proportionatorum, v.g. virtus humilitatis non exigit concursum nisi subdendi se excellentiæ; indubiè tamen aliquæ virtutes, erunt subservientes, gratis Sacramentalibus, in ordine ad eventus gratiosos; v.g. fortitudo, gratiæ Sacramentali roborativæ.

DIFFICULTAS III.

Respondetur quibusdam quæstis.

QUÆRES PRIMÒ. *An omnia Sacramenta æqualem conferant gratiam?* Procedit quæsitum universaliter de Sacramentis diversæ rationis, v.g. non tantum de duobus baptismis inter se comparatis, sed etiam de baptismo comparato ad alia Sacramenta.

ASSERO PRIMÒ. *Sacramenta ejusdem rationis æqualem, quantum est ex illis, conferre gratiam;* est assertum contra Paludanum, Gabrielem, Cajet: Scot: & alios, qui censent majorem dari gratiam ex benevolentia Dei, devotione Ministri, vel ex prædestinatione ad majorem gloriam.

RATIO asserti, quia hæc Sacramenta à solo Christo habent efficaciam, quam quod voluerit esse mutabilem & variam, nec ratione, nec auctoritate suadetur; & sicut hostia sive à bono, sive à malo Ministro consecratur, æqualitatem habet, ita & in præsentia. Rursus collatio majoris gratiæ prædestinatis, non contingit nisi per media ad hunc finem accommodata, hoc est per merita; hic autem agitur de Sacramentis non nisi secundum se, & non prout habent conjunctionem ad opus suscipientis; & si prædestinatis ad majorem gloriam, daretur major gratia, hoc quidem fieret in collatione Sacramenti, sed non à Sacramento, aut ex vi Sacramenti, sed ex vi liberalitatis divinæ. Addit DiCast: ad convenientem modum divinæ providentiæ spectat, ut singulæ causæ habeant certos effectus, non haberent autem in præsentia.

ASSERO SECUNDÒ. *Sacramenta ejusdem rationis, plus conferre gratia, magis disposita.*

RATIO asserti est autoritas Trident: Sess. 6. cap. 7. Ubi docet Trident: secundum mentem

* (N) 4 suram

furam dispositionis conferri gratiam; ergo magis dispositus, plus acquireret gratiæ à Sacramento causatæ; sed casu quo uterque v.g. suscipiens baptismum æqualem attulerit dispositionem, æqualis causabitur gratia, quod intendit assertum primum.

ASSERO Tertiò. *Probabilius est quantum ex vi Sacramenti Eucharistia, quod illa conferat de se plus gratiæ, quam alia Sacramenta.*

RATIO: quia id convenit, cum hoc Sacramentum ipsum gratiæ fontem contineat; & cum in hoc Sacramento magis eluceat bonitas divina, convenit etiam ut liberalitas elucescat.

QUÆRES Secundò. *Utrum omnia Sacramenta conferre possint primam gratiam;* non procedit quæstio de baptismo & poenitentia, de his enim constat; sed de aliis Sacramentis.

ASSERO Primò. *Non posse certo affirmari quod alia Sacramenta etiam per accidens conferant primam gratiam;* est assertum Suarii disput. 63. Sect. 1.

RATIO: quia id pendebat ab intentione instituentis Christi, quæ intentio in hoc genere, neque nobis revelatione, neque autoritate Patrum, neque deductione innotescit.

ASSERO Secundò. *Casu quo mortale retrahetur per attritionem, qua invincibiliter reputetur contritio, probabile est usu Sacramentorum conferri tunc per accidens primam gratiam.*

RATIO asserti, est autoritas Doctorum; ut S. Thomæ hic q. 79. a. 3. in (s). Alensis, Victoris, Richardi, Soti, quos sequitur Suarez; & habetur fundamentum in Trid: quod Sess. 13. cap. 5. agens de Eucharistia. *Si quis dixerit, inquit, vel præcipuum fructum huius Sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo, non alius fructus provenire, anathema sit;* ubi supponere videtur Trident: non præcipuum, secundarium tamen fructum huius Sacramenti esse remissionem peccatorum. Ratio in oppositum non convincit, nam quod dicunt Sacramenta non tollere obicem, sed sublatum supponere, & quod eo casu non auferatur obex, eò, quod illum non auferat attritio, id non convincit; nam obex non est tunc peccatum, sed conscientia peccati, hæc autem conscientia tollitur, quando bonâ fide acceditur. *hinc*

ASSERO Tertiò *dici posse quod Sacramenta ex secundaria intentione, sint instituta ad tollendum obicem.*

RATIO: quia si ex dictis probabile est, de facto per accidens à Sacramentis conferri tunc primam gratiam, etiam dici debet probabile esse, vi illorum auferri obicem; nec inde ulterius sequetur, quod cum cognita attritione, possit aliquis accedere ad talia Sacramenta; quia est obligatio, ne quis cum conscientia peccati mortalis accedat: qui autem conscius est peccati mortalis, & scit se non nisi attritionem habere, scit se esse in peccato mortali, non enim

attritione illud remittitur; ergo non poterit cum illa sola cognita, accedere ad Sacramentum.

QUÆRES Tertiò. *Daturne melior gratia secundum quod melior est Minister Sacramenti?*

ASSERO Primò. *Non datur melior habundantia, seu justificans gratia.*

RATIO, Autoritas S. Pauli. ad Cor. 1. Num. *quid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptisati estis;* certè autem in nomine Ministrum baptisati estis, si melioritatem illius, sequeretur melioritas gratiæ justificantis. Est assertum commune contra Cajet. Gabr. Scotum.

ASSERO Secundò. *Propter melioritatem Ministri, datur melior gratia excitans.*

RATIO ex DiCast: quia si unus potest mereri alteri gratiam excitantem de congruo, ergo & intuitu illius conferri poterit, dum conferretur baptismus.

ASSERO Tertiò. *Gratiam illam conferendam quidem dum conferretur Sacramentum, non dandam tamen vi Sacramenti.*

RATIO: quia cum ipsa Persona Ministri, & ejus Sanctitas, non intret Sacramentum, tantum pars ejusdem, ergo gratia illis titulus data, non erit gratia, vi Sacramenti data.

QUÆSTIO II.

De Effectu Sacramenti in sumentibus cum obice.

Alii appellant id reviviscientiam Sacramentorum & de illa quarunt; porro obex Sacramentorum duplex cogitari potest; Primus qui simul est invalidativus Sacramenti, ut si adultus baptisetur, & ipse nolit baptisari, sed ad illudendum hominibus faciat. Secundus, si quis ponat impedimentum, soli non nisi infusioni gratiæ; ut si v.g. adultus, non delect de peccatis, & tamen baptisetur.

ASSERO Primò. *Baptismus cum obice sumentum reviviscere.*

RATIO asserti; doctrina Ecclesiæ, quæ docet hæreticos, etiam si adulti baptisentur, non esse rebaptisandos; expressit doctrinam Ecclesiæ Augustinus lib. de Baptismo, contra Donatistas. cap. 12. & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5. ita habet primo loco loquens de baptisato in hæresi. *Non iterum, inquit, baptisandus est, qui ipsa reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus, in unitate prodesse jam incipiat Sacramentum, quod acceptum in Schismate, prodesse non poterat.*

ASSERO Secundò. *Quando per poenitentiam obex ille tollitur, remissio & culpa & poenæ, peccatorum ante baptismum commissorum, respondet ipsi Baptismo & non poenitentia.* Est assertum contra Scotum,

Scotum, Almainum, & alios, qui eo casu, baptismo, non nisi remissionem poenae temporalis tribuunt.

RATIO: doctrina Ecclesiae ab Augustino expressa, quae illam justificationem Baptismo tribuit: & si remissio poenae tribuitur Baptismo, cur non remissio culpae?

RESPONDET Vasq. Illam justificationem in tantum tribui Baptismo, in quantum Baptismus reddit fictè baptisatum, idoneum ad recipiendum Sacramentum poenitentiae, per quod gratia confertur; vel quia facit, ut contritio ficta baptisati, sit vera contritio, utpote supponens in re, vel in voto baptismum.

CONTRA. Tum quia hæc responsio non accipit simpliciter verba Augustini. Tum quia non plus tribuit Sacramento quam fiat, si quis etiam non baptisatus actum contritionis & amoris haberet, nam etiam huius amor & conversio ad ultimum finem, includit implicitè votum baptismi, & tamen videtur plus debere tunc tribui Baptismo. Tum quia eodem jure dici poterit, posita remissione peccati, causata à Sacramento poenitentiae, causari illam à Sacramento Baptismi, quia Baptismus reddit capacem hominem illorum Sacramentorum.

ASSERO Tertiò hujus doctrinae commodè rationem reddi, quia scilicet Baptismus in re vel in voto, est necessarius necessitate mediæ ad justificationem, tam ab originali, quam ab actualibus ante baptismum commissis, ut teneat locus: Nisi quis renatus fuerit &c. ergo cum hic baptismus semel acceptus iterari non possit, debuit dari aliquid aliud ratione ejus Baptismus præster illum effectum, & hæc est illa reviviscentia Sacramenti ablato obice.

RESPONDET Vasq. & Coning etiam poenitentiae Sacramentum esse necessarium in re vel in voto ad justificationem à peccatis, post baptismum commissis; casu tamen quo aliquis per contritionem, vel amorem Dei, sed dispoñat ad justificationem, in quibus includitur etiam implicitè poenitentia; nihilominus eo casu, Sacramentum aut ejus votum, non concurrat, ad efficaciam illius contritionis, illudq; votum poenitentiae, implicitum in actu amoris, nihil aliud est, quam amor, cui connexum est propositum servandi omnia præcepta, inter quæ est confessio.

CONTRA est. Nego quòd tunc non concurrat votum poenitentiae, cum concurrat ipse amor, qui est ipsum votum; sed in casu asserti, non concurreret ipse baptismus ad justificationem, ut conceditur; non etiam votum illius, quia hoc non est ejus quod præterit, ut præterit baptismus, consequenter contingeret justificatio sine Baptismo vel ejus voto, cum tamen remissio peccati post Baptismum, non contingeret, si poenitentia in re vel in voto.

ILLUSTRAT hoc Lugo; Sicut transacto Ju-

bilæo potest aliquis absolvi à votis, à quibus oblitus erat petere dispensationem, idq; vi Jubilæi antecederet dari, ita & auferuntur peccata vi baptismi, ante collati.

DICES primò. Ergo tali homini dabitur plus gratiae, quia dabitur gratia & intuitu amor tolerantis obicem, & intuitu Sacramenti.

RESPONDETUR. Concedo totum.

DICES Secundò. Ergo sumens cum obice, referet commodum ex suo Sacrilegio.

RESPONDETUR. Non tam referet commodum ex suo Sacrilegio, quam potius Sacrilegio non impeditur, quominus gaudeat effectu illius juris, quod per baptismum acquisivit; vel certè per accidens id continget, & non ratione, Sacrilegii, sed efficaciae baptismi: ad eum modum, quo per accidens contingit, ut communicans propter vanam gloriam, accipiat nihilominus gratiam Sacramenti; & quòd post peccatum absolutus, accipit gratiam majorem priori.

DICES Tertiò. Ergo is qui cum obice veniali recipit Sacramentum baptismi casu quo moretur extemplò, adhuc ab illo justificari poterit, vi baptismi.

RESPONDETUR. Concedendo totum, aliàs baptismus non mutaret hominem in aliam Creaturam: quomodo autem hæc remissio perficiatur, dictum in materia de poenitentia, ubi de actu requisito ad remissionem peccati.

ASSERO Quartò. *Etiam alia Sacramenta imprimunt Characterem, sublata fictione, tribuunt suum effectum;* est assertum communius S. Thomæ in quartum dist. 3, a. 2. ad tertium; est autem contra Vasq.

RATIO est: quia Character ille, ut supra innuimus, est quasi virtus Sacramenti relicta, potens eo casu causare effectum Sacramenti.

ASSERO Quintò. *Etiam alia Sacramenta non imprimunt Characterem, ablato obice, produunt gratiam, excepta Eucharistia & poenitentia;* est assertum Suar. Lugonis & aliorum.

RATIO quoad primam partem; quia extrema unctio, stante eadem ægritudine, & matrimonium vivente conjuge, reiterari non possunt; & tamen indiget homo specialibus gratiis adstrictis illi Sacramento, nec est necesse remittere hominem, ut id compenset oratione; quia id non convenit bonitati divinæ facilitanti salutem per Sacramenta; unde sufficienter ipsa Contritio delevisset mortale, & tamen provisum Sacramentum poenitentiae; facilitativum illius remissionis.

Quod attinet ad **EUCARISTIAM** est assertum contra Scotum & Cajetanum, docet tamen illud Lugo disp. 5. Sect. 6.

RATIO: quia ex una parte non dicitur id doctrina Sacra, ex altera parte, resumptibilitas Eucharistiae, facit ut damnum illud compensari possit, quæ iteratio, non habetur in extrema unctione & Matrimonio ut dictum.

Quod

Quod attinet ad POENITENTIAM.

RATIO est: quia quotiescunq; ponitur obex Mortalis, toties non ponitur Sacramentum, consequenter nec habet jus cauſandi gratiam, neque enim admittimus Sacramentum hoc validum, sed informe.

ASSERO sextò. *Perfectiori dispositioni tollenti obicem, respondet plus gratiæ.*

RATIO asserti est Autoritas Tridentini, Sess. 6. cap. 7. Ubi docet secundum mensuram dispositionis, conferri gratiam; præcipue quia ut dicit DiCast: Sacramenta operantur in omni suscipiente ad modum Entis quodammodo naturaliter operantis, jam autem naturale agens, secundum dispositionem Subjecti operatur.

ASSERO septimò. *Posita dispositione, quæ unica pro utroque deserviat, v. g. quæ serviat & ad baptismum & ad poenitentiam, singula Sacramenta cauſabunt tantam gratiam, atque si pro singulis, separatim illa dispositio facta fuisset.*

RATIO: quia effectus unius Sacramenti, non restringitur effectui alius Sacramenti; nec obstat, quod illa dispositio sit finita, adeoque divisa per plura, non possit tantum, quantum uni attributa, non inquam obest; quia illam dispositionem non est necesse dividi, sed tota pro utroque Sacramento deservire potest: ad eum modum, quo v. g. gradus caloris iidem serviunt, ut inducatur siccitas & ignis; & quomodo in sententia admittente formas partiales, eadem dispositio sufficiens est, ad formam partialem, & formam totalem.

QUÆSTIO III.

De effectui Sacramenti qui est Character.

Hic effectus non est communis omnibus Sacramentis sed nonnisi aliquibus; de illo sit

DIFFICULTAS I.

An detur Character?

DICENDUM est, *Dari Characterem.*

PROBARI primò solet ratione, quæ utitur etiam Amicus: quia dantur aliqua Sacramenta quæ iterari non possunt ex constanti Ecclesiæ traditione, qualis & Baptismus, Confirmatio & Ordo; ergo præter gratiam imprimatur aliquid in anima, quod semel impressum, nunquam deletur, eò quod illa maneant semper in suo effectui, reliqua verò præter gratiam, quæ remitti augeri que potest, nihili imprimunt in anima suscipientis, repetique possunt.

RESPONDET primò Lugo; hanc probationem non esse efficacem; nam licet ex impressione characteris arguatur benè, non posse iterari illa Sacramenta, prout intulit Trident: non

tamen è contra videtur benè argui, ex eo, quod iterari non possint, quia imprimunt Characterem; non consecratio Calicis vel Ecclesiæ, ac etiam prima tonsura iterari non possunt, & tamen non imprimunt Characterem.

CONTRA est: Quia ex una parte non affertur rationem, cur eò, quia iterari non possunt Sacramenta, non arguatur ea imprimere Characterem; ex alia parte instantiæ allatæ non convincunt; nam quod consecratio Calicis, vel Ecclesiæ iterari non possit, id pendet ex mera dispositione Ecclesiastica, potuisset enim ordinare Ecclesia, ut pro singulis vicibus nova fieret consecratio Calicis vel Ecclesiæ, sicut pro singulis diebus dominicis ordinavit asperſionem solennem, jam autem illa non iteratio Sacramenti non potest referri in placitum Ecclesiæ, ergo debet referri in aliquid aliud, hoc autem non aliud est, quam ex eo iterari non posse, quia imprimitur Character.

RESPONDERI potest secundò. Male ex iteratione Sacramenti inferri positionem Characteris; quia oleum & Chrisma cum benedicuntur, non imprimuntur illis character, & tamen Ecclesia non potest facere, ut non maneant ulterius benedicta; ergo non rectè inferitur, quia aliqua Sacramenta non possunt repeti, illa ex eo imprimere Characterem, cujus etiam reſponſionis meminit Lugo.

CONTRA. Redit argumentum factum quod oleum non benedicatur repetitò, est merum placitum Ecclesiæ; non est autem merum placitum, quod Sacramenta reiterari non possint, & cur id ex eo non inferetur, quia imprimunt Characterem. Deinde, quod oleum illud, postquam est benedictum, id exinde est, quia habere rationem benedicti, non plus importat, quam destinationem olei vel Chrismatissolennem ad esse Sacrorum, hæc ipsa destinatio perficitur actu designativo; hic actus designativus quando præterit, non potest non esse præteritus, consequenter & oleum v. g. benedictum, non potest facere non benedictum; sicut & facta designatio non potest non esse facta, licet non repetitio illius benedictionis, ut dictum, referri debeat in placitum Ecclesiæ.

RESPONDERI potest tertio. Quamvis Matrimonium iterari possit cum alia v. g. conjuge, non tamen potest iterari cum eadem, & tamen non imprimitur Characterem saltem limitatum respectu illius conjugis; ergo non iterabilitas, non arguit impressionem Characteris; & ex alia parte, non implicaret, quod Matrimonium cum hac conjuge, imprimeret Characterem, per ordinem ad hanc conjugem, & Matrimonium cum alia, imprimeret characterem, per ordinem ad aliam conjugem; sicut subdiaconatus imprimit Characterem Ordinis, inquit Lugo, & tamen Subdiaconus potest iterum recipere Sacramentum ordinis, in Diaconatu & Presbi-

Præbiteratu, quia illi Characteres, non sunt homogenei, sed heterogenei, in ordine ad diversas functiones.

CONTRA est. Quia etiam similiter querere restat, cur ex initerabilitate absoluta quæ amplior, argui non possit Character, licet non arguatur ex initerabilitate cum hac. Quod autem non possit ex initerabilitate Matrimonii cum hac, argui Character ad hanc, referri in id potest: quia etiam non posito Character, initerabilitas Matrimonii cum hac, referri potest in essentiam contractus Matrimonialis, stantis traditione ad quam sequitur acceptatio: traditio autem, primâ quidem vice habet effectum, si illi annectatur absoluta acceptatio, sed secunda vice, non est jam traditio, traderetur enim quod jam habetur, quod ipsum non est tradere, nihil autem simile ostendi potest in aliis Sacramentis, in quod referatur initerabilitas; deinde si daretur Character per ordinem ad hanc conjugem, tunc illa mortua casu contractus cum altera, esset conjunx duarum conjugum, quod absurdum; & hoc absurdum probat initerationem Matrimonii cum eadem conjugem in Characterem refundi non posse, adeoque nec characterem talem dari, nihil autem simile in aliis Sacramentis initerabilibus; ergo initerabilitas illa referri debet in Characterem, cum in aliud referri non possit.

Cæterum hæc probatio plenè non convincit, certe enim in libertate Christi fuit, etiam aliis Sacramentis tribuere vim producendi Characterem temporaneum saltem, consequenter ex caractere, non potest per locum intrinsecum inferri initerabilitas, adeoque initerabilitas non in characterem referri debet, sed in placitum instituentis.

PROBARI solet secundo Ratione, qua etiam utitur Amicus: quia per hæc Sacramenta homo fit habilis ad aliquid, ad quod antea non erat; nimirum per baptismum, ad recipienda aliqua Sacramenta; per Confirmationem, ad tuendam religionem adversus Tyrannos; per Ordinem, ad obeundas actiones sacras; ergo per aliquid intrinsecum permanens: quia sicut Deus amando facit objectum amabile, & simul potens redamare; per aliquid intrinsecum & permanens in eo productum, ita habilitando, facit subiectum habile ad operationes, quas antea non poterat facere, per aliquid intrinsecum, in eo impressum; & licet homines, non nisi extrinseca autoritate, sitos Ministros, designent ad publica munia obeunda, Deus tamen cujus perfecta sunt opera, facit id, per intrinsecam potestatem & virtutem.

RESPONDERI potest. Rationem hanc non convincere, absolute enim loquendo fieri potuisset, ut hæc omnia sine impressione Characteris fierent, debet ergo dari fundamentum, cur de facto fiat cum impressione Characteris.

Rursus sicut non est necesse ut homo, per aliquid positivum impressum reddatur capax Baptismi, ita posset reddi capax aliorum Sacramentorum sine Baptismo. Denique ratio multum probat: quia probaret etiam in Matrimonio imprimi Characterem, itemque in collatione extremæ unctionis; quia etiam vi illorum Sacramentorum, homo fit habilis ad aliquid, ad quod antea non erant. Addit Lugo quod non detur potestas Confirmato ad aliquid, ad quod non habet potestatem non confirmatus, nec Diaconus aut Subdiaconus recipit potestatem aliquid faciendi, quod validè laicus exercere non possit; ergo apparet exinde non argui characterem.

PROBAT tertio Lugo. Sicut in exercitu vel familia Principis, ii qui designantur ad peculiaris officia vel obsequia, designari etiam solent peculiaribus signis; ita congruum fuit, ut in familia & exercitu Christi, ejus famuli & milites peculiaribus signis notarentur; hinc ulterius deducit, quare alia Sacramenta non imprimant Characterem, quod scilicet per illa non designetur ut Minister vel famulus Christi, sed solum accipit gratiam Sacramentalem, ad aliquas particulares necessitates.

RESPONDERI potest, nec hanc congruentiam convincere, cur non enim in extrema unctione constituetur homo Minister Christi, obstitutus difficultatibus mortis, sicut Confirmatus obstitit difficultatibus Tyranni. Ostiariis item & Exorcistis, sunt etiam officia & ministeria Christi, & tamen non imprimunt Characterem; denique Matrimonium constituit specialem classem, itemque votum virginis, & tamen hæc non imprimunt Characterem. *Hinc aliter*

PROBATUR Conclusio Autoritate sacra, novissime Trident. Sess. 7. Can. 9. definientis Triâ esse Sacramenta, quæ Characterem imprimunt, nimirum Baptismum, Confirmationem & Ordinem. Hujus definitionis fundamentum desumitur ex Scriptura, quæ licet in alio sensu explicari possit, nihilominus attendendo ad traditionem Ecclesiasticam, etiam pro Characterem accipi debet. Talis est locus ad Ephes. 4. *Neque contristare Spiritum S. Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Consimilia sunt ad Ephes. 1. & secunda ad Cor. 1. Patres autem fuscè citat Bellarminus lib. 2. de Sacramentis c. 8. Neque valet si dicas quod Tridentinum ex Characterem collegerit, non posse Sacramenta aliqua iterari, neque enim id collegit, ex vi & natura Characteris, sed ex ordinatione Christi, conjunctum esse Characterem volentis, Sacramento initerabili.

OBJICIUNTUR primò in oppositum Paritates aliqua.

PRIMA est Calix & Ecclesia sufficienter sacrantur sine Characterem; ergo & homines.

RESPONDETUR. Si argumentum tenet, probat multum.

multum: quia probat etiam gratiam in Sacramento non conferre, quia etiam calici nihil simile confertur; directe disparitas est: quia non constat Ecclesiae, quod ordinaverit Deus, ut aliquid vel spirituale, vel materiale producat in illa consecratione; constat autem Ecclesiae de voluntate Christi circa productionem Characteris.

Aliam disparitatem dat Amicus: quia Calix & Ecclesia, non sunt capacia signationis internae, & quia eorum consecratio fit ab homine, qui non habet virtutem mutandi res intrinsecas, homines autem consecrantur à Deo mediis Sacramentis. *Hec disparitas*

NON SATISFACIT. Quia quamvis non sint capacia naturaliter, signationis internae spiritualis, Materialia, sunt tamen capacia signationis materialis supernaturalis, consimilis laureolis, & tamen haec signatio in calice non datur; & sicut signat Deus mediante Sacramento, ita dicam benedicere Deum calicem, mediante benedictione hominis, praecipue cum Ecclesia, sicut potestatem v.g. Ordinis conferendi, ita & potestatem benedicendi habeat à Deo.

SECUNDA PARITAS. Quia homines destinant ad sua officia alios sine ulla productione Characteris interioris, ergo & Deus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia habet Deus libertatem & potestatem, ut id faciat; & quod sit usus hac libertate, constat nobis ex doctrina Conciliorum; jam autem homo non habet potestatem aliquid internum producendi in alio, & externum Signum nolit deputare, singulis officiis.

OBJICITUR secundò. Nulla est necessitas huius Characteris, sufficitque gratia, praecipue cum Character nullam physicam vim agendi tribuat.

RESPONDETUR. Nullam esse necessitatem absolutam Characteris, sufficissetque habuisse gratiam & deputationem externam, est tamen necessarius ex suppositione, quod Deus se libere determinarit, ut illo consignaret; nec obest quod vim agendi physicè non tribuat, quia illam nec laureola tribuunt, & tamen dantur.

Aliter ad illud, quod character non sit principium operandi, respondet Amicus, quod scilicet character non requiratur ut forma habilitans physicè, requiritur tamen ut forma habilitans moraliter: quia nec sine Characterè Baptismi, reliqua Sacramenta essent valida. *Hec doctrina*

NON SATISFACIT. Suppono enim quod ponatur Baptismus; & Deus ex placito non concurrat ad productionem Characteris, vel subtrahat concursum conservationi ejusdem, non videtur ex doctrina Ecclesiae sequi, illum hominem non fore capacem aliorum Sacramentorum: non diciturque Character Baptismi, esse janua Sacramentorum, sed baptismus.

OBJICITUR tertio. Si daretur Character, conferri deberet tunc, cum non confertur gratia; hoc autem non convenit: nam non decet actum peccanti, Deum infundere sua dona.

RESPONDETUR. Sicut homini peccanti non est indecens offerri à Deo auxilia supernaturalia, ita nec erit indecens offerri Characterem: indignitasque peccatoris non evacuat liberalitatem divinam, quam libere decrevit, etiam tunc manifestare.

DIFFICULTAS II.

Quid Character?

POnentur imprimis Explicationes, postea ostendetur, quid rei sit ipse Character.

Punctum Difficultatis I.

Definitur Character.

PRIMA DEFINITIO est, quâ utitur Lugo, quod sit Signum spirituale & indelebile in anima impressum. *Hec definitio*

NON SATISFACIT: quia non est Universalis, non enim implicat Character delebilis. Rursus, differentia qualitaturn non decet accipi à subiecto in quo recipiuntur: subiectum enim ad hoc non nisi materialiter se habet; unde si ponerentur materiae distinctae specie, calor praesens in utraq; positus non differret per hoc species; & quamvis, si qualitas non nisi ad hoc subiectum ordinaretur, esset distincta specie à qualitate, quæ ad aliud subiectum ordinaretur, tamen non à subiecto desumeretur differentia, sed ex ordine illo intrinseco, & essentiali, non autem praecise ex subiecto recipiente; & si ponatur illud Signum spirituale, hoc ipso supponetur illud in anima recipi, neque enim rei spiritualis subiectum connaturale aliud esse potest, ut quid ergo ponitur in definitione characteris, quod recipiatur in anima, & sicut signum materiale non rectè per hoc definiretur, quod sit signum materiale in materia receptum, ita & in praesenti, non rectè definitur Signum spirituale, per ly, in anima receptum. Denique, ut suppono, non implicat contradictionem aliqua qualitas materialis & tamen supernaturalis, quæ tamen qualitas habeat rationem Signi; ergo adhuc illa definitio, non est universalis, nec conveniens ut sic Characteri.

SECUNDA DEFINITIO est Esparza. q. 31. Ponit ille, quod Character sit signum Potestatis spiritualis in ordine ad cultum Dei; vel certè est qualitas practice indicativa potestatis spiritualis ad cultum Dei; hoc autem munus nulla alia qualitas tam bene praestat, quam species impressa. Unde concludit cum Altisiodoren. & Salaz, quod Character Sacramentalis, sit species impressa

impressa supernaturalis infusa à Deo, dependenter à Sacramentis, & indicativa destinationis ad finem peculiarem, nec non potestatis peculiaris ad cultum Dei; hæc doctrina & definitionem tradit, & simul, quid rei Characteris. *Cate-*

rum

NON SATISFACIT. Tum quia habent Angeli speciem impressam, quod hic homo habeat jus ad recipienda Sacramenta, potestatem ad sacrificandum, neque tamen per hoc Angeli habent characterem; ergo apparet, quod iste character non sit species. Tum quia species impressa est principium, vel completivum intellectus eliciendæ; si tale completivum non est character, qui erit species: si autem character est tale completivum, quæro, cujusnam intellectum compleat: non aliorum extra suscipientem Sacramentum: quia species diffusa non potest concurrere, nec complere intellectum diffusum, ut suppono, non intellectum habentis characterem, quia ad nihil ultra valeret hic character quam ad cogitandum, quod quis sit renatus, confirmatus, ordinatus; & tamen quod non ad cogitativam ordinetur character, tenet communis apprehensio fidelium; urgendoque ex proportionem ad characteres humanos: sicut Balteus militaris, non est species impressa, ut quis cogitur esse miles; ita & in præsentia. Tum quia laureolæ non sunt species impressa; ergo nec character. *Hinc*

Tertia Definitio Characteris Theologici ut sic, est; *Quod sit qualitas consignativa supernaturalis.* Quod si rationem genericam proximam; velis habere communem tribus characteribus Sacramentalibus, erit qualitas spiritualis, consignativa supernaturaliter; quod si velis adhuc inferiorem divisionem habere, adde terminum Indelebilis. Denique in particulari, character Baptismi erit qualitas spiritualis consignativa supernaturaliter hominis renati. Character confirmationis erit qualitas spiritualis, consignativa supernaturaliter hominis in militem Christi; denique character ordinis, erit qualitas spiritualis, consignativa supernaturaliter hominis in cultum DEI.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

DICES PRIMÒ. Si definitio characteris non involvit diversitatem subiecti, etiam non importabit prædicatum supernaturalitatis.

RESPONDETUR. Importabit: quia ratio supernaturalis includitur in ipsamet Entitate qua-

litis, hoc autem quod est recipi in subiecto, non includitur ita.

DICES SECUNDÒ. Tridentinum loquens de characterem, meminit indelebitatis, qui terminus à nobis non ponitur.

RESPONDETUR. Quod Tridentinum meminerit indelebitatis in definitione in specie characteris, non tamen in definitione ut sic, qualis à nobis traditur.

DICES TERTIÒ. In definitione characteris non debet assumi ly Qualitas; nam qualitates sunt habitus & dispositio, potentia & impotentia, passio & passibilis qualitas, denique forma & figura; nihil autem horum est character.

RESPONDETUR. potest. Quod quamvis ad nullam harum qualitarum speciem reduceretur character, posset adhuc habere rationem qualitatis; quia Aristoteles has tantum qualitates numeravit quas agnovit, tantum autem agnovit qualitates ordinis naturalis; sed etiam revocari potest character diverso respectu ad illas qualitates: nam in quantum posita fictione in susceptione Sacramenti, est postea character principium vicarium Sacramenti, in ordine ad causandam gratiam; revocabitur ad potentiam; item in quantum character movet Deum, ut taliter signato conferat auxilia, Sacramento debita; revocabitur etiam ad potentiam; in quantum autem est qualitas difficile mobilis, immò indelebilis; revocari potest ad passibilem qualitatem; revocari item potest ad habitum: quia licet non in genere agendi proprio, tribuat facilitatem, tribuit tamen improprie, in quantum habenti characterem, facilius est habere auxilia Dei titulo Sacramenti. Revocari etiam potest ad figuram; figurat enim & ornat animam: multoque magis revocari potest ad formam, cum sit forma signativa.

DICES QUARTÒ. Sufficit ut dicatur cum durando characterem esse relationem, est enim signum, signum autem, est relatio.

RESPONDETUR. Non sufficere ut character sit relatio: quia Tridentinum definit characterem, quod sit qualitas; signum etiam universaliter non est relatio, quia nec hedera est relatio, sufficeretque signum esse relatum, non autem relationem formaliter.

DICES QUINTÒ. Probabile est, quod character maneat in damnatis, nullum autem supernaturale convenit manere in damnatis.

RESPONDETUR. Quid sentiendum sit de indelebitate characteris etiam post hanc vitam; vide DiCast. disp. 2. num. 447. Ceterum indelebitatem characteris exinde colligere possumus: quia qualitas non habens contrarium, est de se permanens, jam autem characteri nihil est contrarium: vel maxime enim illi esset

* (O)

con-

contrarium peccatum, & tamen illum peccato non deleri, constat sensu Ecclesiae; hinc quia etiam post mortem non habet contrarium character; ideo non est ratio, cur Deus conservationi illius subtrahat concursum; hinc etiam non esset necesse reviviscentem vel reordinari, vel re baptisari, inquit Amicus, licet ille putet non esse de Fide, characterem manere in damnatis; disp. 7. num. 63. Et licet non sit conveniens manere in damnatis donum supernaturale, quod sit principium agendi supernaturalia; potest tamen aliquid supernaturale manere in damnatis, praecipue quod valet etiam ad illorum poenam: sicut enim eadem vestis, quae viro honorato decus est, potest esse supplicium & activum pudoris; ut si Judicium mandet, in tali honoris veste, cum suspendi; ita & ille character, qui olim erat decus, auget poenam in inferno. Attingunt autem illum characterem sua cognitione damnati, non quae sit intuitiva; quia illa ipsa actio deberet esse supernaturalis, neque enim intuitiva cognitione naturali noscitur quidquam supernaturale, sed noscent illum characterem cognitione abstractiva.

Punctum Difficultatis 3.

Quid in re iste Character?

QUOD ille character non sit species impressa, superius dictum. *insuper*
 ASSERO PRIMò. *Characterem esse potius qualitatem realem quam modalem.*

RATIO: Quia sicut in istis, quae cadere possunt in productionem, nihil est negandum omnipotentiae divinae, nisi id implicet; ita neque negandum, quod illud in se solo conservare & producere possit, nisi id implicet, ne ita restringatur omnipotentia in sua conservativa; si autem iste character esset quid modale, restringeretur conservativa divina; non enim posset etiam divinitus servari sine subiecto; quia tamen non sunt multiplicanda entia sine necessitate, consequenter nec realisanda, concordari haec duo debent; nempe ne restringatur omnipotentia in sua conservativa, & ne dignificentur entia sine necessitate; quae duo per hoc videntur complanari posse, ut dicatur, illud esse Ens modale, si scilicet ex fine, qui tunc intenditur, inferatur exigentia essentialis determinationis entitativae, adeoque entitas modalis; & ita ad finem unionis non conferret Entitas realis, neque enim esset sufficiens determinativum, consequenter debet esse Entitas modalis: quia autem ad finem, qui est consignare, non exigitur essentialiter inseparabile signativum, cum multa sint verè signa, & tamen sunt reales,

ideo concludendum erit pro Omnipotentiae restringatur, dicendumque illum characterem esse rem & conservabilem miraculose à Deo, etiam independentem à subiecto.

ASSERO Secundò. *Probabilius esse quod non ex solo placito divino, sed merè ex natura sua character sit consignativus.* est assertum Salaz, Lugo, docetque cum restrictione DiCast.

RATIO: Quia ex una parte qualitas ex natura sua significans est possibilis; ex alia parte quod sit talis qualitas character, probabile est: quia nullibi ex doctrina sacra, appellatur signum ad placitum DEI, sed signum semper sine addito; signum autem sine addito, significat pro principali, principale autem signum, est signum ex natura sua.

Circa hoc assertum sic discurret DiCast. disp. 2. num. 484. Docet ille quod character non sit signum ita connexum cum re significata, ut sit quoad existentiam connexum cum illa, unde etiam damnati non censentur esse deputati, ad hoc, quod consignat character; docet rursus quod homo sit capax cum character, gratiae & auxiliorum, soli voluntati & ordinationi divinae ita statuenti,tribuendum esse; docet tamen quod Character ex natura sua habeat proportionem, ad illa ipsa, ad quae significanda assumitur. Circa hanc doctrinam hoc dici potest; si dicatur quod quantum ex visua, non consignet reatum v. g. character, falsa est propositio. Ratio: quia omne est, quod est, in illo in quo est; quia ergo ille character est consignativus, quantum ex illo, consignabit etiam damnatum; & sicut calor, dum non calefacit, quantum ex illo, calefactivus est, est enim quod est, adeoque est quantum ex illo, calefactivus, licet aliunde & ob impedimenta non sit calefactivus; ita & in praesenti. Rursus non apparet, qui si soli ordinationi divinae tribuatur haec deputatio, quomodo tamen haberet de se capacitatem ad hoc character, quod tamen concedit DiCast. certè enim, si habet de se ad hoc proportionem, iam non soli ordinationi divinae tribuendum: ad eum modum, quo quia homo habet proportionem ad eliciendum actum visionis, si elevetur ratio vitalis visionis, non soli ordinationi divinae tribuenda. Ceterum si per ordinationem divinam hoc intelligatur, quod scilicet in hac exigentia, sit impedibilis Character, quod non impediatur, tribui poterit Deo soli: & sicut ex natura sua, est capax fumus ut significet ignem, non debet haec significatio tribui soli ordinationi divinae, licet quod non ponatur fumus miraculose sine igne, tribui id debeat soli ordinationi divinae; ita & in praesenti.

ASSERO Tertiò. *Characterem non esse merum ornatum animae, distinctivum hominum à ceteris* quod non sit ornatus.

RATIO est: quia Trident. sub nomine potius signi characterem concepit; & licet character sit distinctivus à cæteris, hoc tamen non est primum quid in characterè prius est enim esse, postea distinguere; & de hoc ipso esse characteris quaeritur, quid sit?

ASSERO Quarto. *Characterem non esse qualitatem, quæ sit principium recipiendi* v. g. aliquem effectum externum, ordinatum ad cauendum in anima effectum supernaturalem.

RATIO: Quia non apparet quid intelligatur per effectum externum: si enim intelligatur aliquid materiale & sensibile, quæ qualitas spiritualis, erit hoc principium aptum recipiendi.

ASSERO Quinto. *Non rectè poni, quod Character Baptismi sit passiva aptitudo, ad recipiendam per alia Sacramenta, justificantem gratiam;* nec characterem confirmationis, esse aptitudinem passivam, ad exercendos actus supernaturales, necessarios ad professionem fidei; nec characterem ordinis, esse aptitudinem passivam, ordinatam ad reverentiam servandam, in exercitio ordinis; est assertum contra DiCast.

RATIO est: Tum quia ut dictum alibi, non est necesse poni quidquam superadditum habitans, ad receptionem alicujus supernaturalis. Tum quia ad recipiendam hanc ipsam qualitatem characteris, non indiget anima aliquo superaddito, conferente passivam aptitudinem. Tum quia in non renatis, acquiritur gratia actu amoris Dei, ad quam recipiendam, non ponitur ullus præviuus character; ergo nec in renatis poni debet.

Quid in re sit character, sic proponitur; Quæ proportio est moralium inter se, itemque physicorum, ea interdum est proportio supernaturalium: sicut enim moralia spectant ad laudabilitatem, respiciuntque conformabilitatem ad rectam rationem; ita & supernaturalia habebunt rationem moralium, quando principabunt rationem laudabilem, conformatorumque ad rectam rationem; titulo etiam speciali, supernaturalia proportionantur physicis, quia ab istis visibilibus, transferre nos vult Deus ad invisibilia, ordinatque supernaturalia, ad perficienda naturalia; hinc fit, ut proportionentur naturalibus supernaturalia, tanquam cognoscibile invisibile, cognoscibili visibili, & tanquam perfectivum, perfectibili.

Quia autem in physicis, est aliud esse, & aliud tale esse; in moralibus etiam, aliud est habere moralis statûs substantiam, ut ita dicam; & aliud, decoramoralia & elevativa; unde aliud est, esse genere nobilem, capacemque dignitatis cuiuslibet patriæ, aliud, officio esse Palatinum: ideo etiam ex proportionem ex supernaturalibus, aliud est habere esse supernaturale, & hoc habere

tur à gratia, quæ est specialis participatio esse divini; & aliud habere officia, deputationes, assumptibilitatesque supernaturales.

Porro in Moralibus horum officiorum habetur interdum Signum; & ita portatio Clavæ, est signum regiminis militaris; fumus etiam in physicis, signatignem; ita & in spiritualibus, dari possunt ex proportionem consignativa.

Quia verò ista consignativa in naturalibus quædam sunt intransitiva, & potius habentia vim notificantium; & ita talis compositio corporis, signat hominem, intuentemque angelo substantiam animæ, notificat se illi anima, quod sit substantia incompleta, ordinata ad corpus, & alia transitiva, ut cum Balteus significat militem: ita etiam in supernaturalibus sunt quædam signa intransitiva, vel potius quædam signa notificativa; tale notificativum est v. g. gratia, cujus cognitio si detur, manifestat habentem, esse Filium Dei: & alia sunt consignativa transitiva, quæ consignat, ut hæc persona, habeat hoc officium, functionem, deputationem, & hæc signa transitiva sunt characteres Sacramentales.

Natura ergo & res illius characteris breviter loquendo, in hoc erit, ut sit quid consignativum supernaturale, talis personæ, in republica christiana; v. g. character baptismi consignat quod sit iste renatus, licet renascentia, sit gratia baptismalis. Character confirmationis consignat hunc in militem specialem, in causa profitendi fidem; character ordinis, signat personam cum jure in corpus physicum & mysticum Christi. Primaria ergo ratio characteris, est signare personam reipublicæ christianæ, ad quam consignationem, sequitur imprimis, cum ille character non sit titulus sine vitulo, ut appellant, & metum titolare; hinc ipse etiam character, sic cætera sint paria, exigit etiam auxilia Dei, & deinde importat distinctionem ab illis, qui hunc characterem non habent; videtur hæc esse explicatio in re Suar. & Vasq. desumiturque ex S. Thoma hic, q. 63. a. 1. in (*). Ubi dicit Sacramentum novæ legis characterem imprimere, in quantum deputamur ad cultum Dei.

Dices Primò. In oppositum esse S. Thomam loco citato; ubi ad quartum dicit; quod character habeat rationem Signi, per comparisonem ad Sacramentum sensibile, à quo imprimitur, sed secundum se consideratus, habet rationem principii.

RESPONDETUR. Etiam per nos, non est de primo essentiali conceptu characteris, significare Sacramentum, à quo imprimitur, sed potius consignare personam & in ordine consignandi, habet rationem principii, cui, ut dictum, adjungitur exigentia auxiliorum.

* (O) 3

Di-

DICES secundò cum eodem. Qualitates Spirituales essentialiter sunt propter perfectionem Substantiæ spiritualis, ut illa scilicet, per qualitates spirituales, aliquid assequatur, quod sine illis non haberet, alioquin inutilis omnino esset.

RESPONDETUR. Etiam hæc qualitas inutilis non erit, & ut sit perfectio animæ, sufficit ut designet Personam, eamque esse talem in republica Christiana indicet: erit autem saltem secundario, principium operationis rectæ, ob exigentiam auxiliorum, quam dicit.

DICES tertio. Ergo hic Character nullo distinguitur à laureolis.

RESPONDETUR. Distinguendum inter alia per hoc, quia laureolæ signant, *Quia est*, character congnat *ut sit*; laureolæ non sunt ex suppositione Sacramenti collati, est Character; illæ sequuntur virtutes, hic autem Sacramenta.

DIFFICULTAS III.

Quæ Sacramenta imprimant Characterem quod Efficiens & Subiectum ipsius.

QUOD primum
ASSERO Primò. *Baptismum, Confirmationem, Ordinem imprimere Characterem.*

RATIO. Definitio Tridentini recitata.

ASSERO Secundò. *Etiam suppositio, quod Circumcisio fuerit Sacramentum, non impressit tamen ullum Characterem;* est assertum communius contra Scotum & Gabrielem.

RATIO prima asserti est, quam assignat Amicus: quia Character habilitat subiectum vel ad participanda, vel ad communicanda bona spiritualia, quæ ex opere operato per Sacramentum recipimus.

RESPONDERI potest, id verum esse, nonnisi de characterē novæ legis; deinde non est ratio, cur præter sublationem originalis peccati, vi illius Sacramenti, non habuerint iustificati, speciale jus præ aliis, ad auxilia etiam spiritualia, cuius juris posset esse Signum, Character.

RATIO secunda ejusdem. Quia non minus scemina quam mares participes erant salutis, sed scemina nullum habebant Characterem, quia nec recipiebant Circumcisionem.

RESPONDERI potest. Etiam pro sceminis erat Signum sensibile Sacramentale; & de hoc reddit quæstio, cur non potuerit imprimere Characterem.

RATIO tertia Communis, cuius etiam meminit Amicus. Si circumciscus habuisset Characterem

non potuisset baptisari, cum nequeat baptisimus conferri habenti Characterem.

RESPONDERI potest. Baptismum non posse conferri habenti Characterem ejusdem rationis, sed conferri posse, si habeat Characterem diversæ rationis; si v. g. non potest conferri baptisato baptismus, potest conferri Confirmatio, alium Characterem imprimens; possetque dici ex Characterē Circumcisionis & Baptismi, constandum fuisse unum totalem: sicut ex Characterē Diaconatus & Presbyterii &c. conflatur unus Character. Quod autem dicit Amicus, & Circumcisionis & Baptismi Characterem consignasse Subiectum DEO, adeoque non fuisse illos diversæ rationis, id non convincit; probaret enim quod Diaconatus & Presbyteratus v. g. non imprimat Characterem diversæ rationis: quia uterque congnat subiectum DEO; & certè non obest, ut congnatio subiecti DEO, fiat per signa diversæ rationis. Quod item dicit effectum illum Characteris indivisibilem esse, adeoque perfectè poni, nonnisi ab uno Characterē, id etiam non convincit, est enim ille effectus indivisibilis in Entitate, non est tamen indivisibilis in modo significandi, nec est exclusivus plurium modorum characteris.

RATIO potior asserti est. Quia an debuerint Sacramenta, sive legis naturæ, sive scriptæ imprimere characterem, vel non, pendebat id à sola libertate divina; hinc an defacto usus fuerit DEUS, circa hoc sua libertate, indagari hoc debet, ex authoritate sacra, vel ex deductione, quæ non sit suspicio mera: in presenti autem non habetur vel authoritas, vel deductio, quæ id suadeat.

DICES. Non minus circumcisio erat janua salutis, sicut & Baptismus; ergo imprimebat characterem, sicut & Baptismus.

RESPONDETUR. Cum possit aliquis habere janua apertam. Sacramentaliter, sine ullo characterē, non sequitur ex eo, quia aliquid janua est, jam deposcere Characterem; ex altera parte non constat nobis de voluntate divina, circa impressionem characteris, sequentem, circumcisionis positionem.

QUOD Secundum. *De causa efficiente Characteris.*

ASSERO Primò. *Causam efficientem Characteris in baptismo, esse quemcunque Ministrum.*

RATIO: Quia in casu necessitatis, quicumque homo est Minister hujus Sacramenti, consequenter ponens totum, quod secum trahit ex ordinatione divina Baptismus, qui etiam trahit secum characterem, idque indicant locutiones Patrum, qui indefinite enuntiant à Baptismo imprimi characterem.

ASSERO Secundò. *Characterem aliorum Sacramentorum, non posse à quocunque imprimi habere.*

RATIO

RATIO : Quia etiam Minister Sacramento-
rum illorum non potest esse quicumque homo.

ASSERO Tertio. *Quod Minister non nisi media-
re sit causa efficiens Characteris.*

RATIO : Quia etiam gratiam immediatè cau-
fant Sacramenta ipsa; ergò causabunt immidia-
tè etiam Characterem.

QUOD Tertium. *Quodnam sit subjectum
Characteris ?*

ASSERO Primo. *Subjectum Characteris connat-
urale, posse esse quamcunque creaturam rationa-
lem.*

RATIO : Quia non implicat contradictionem,
etiam respectu Angelorum dari aliquos
Characteres.

ASSERO Secundo. *Subjectum defacto Chara-
cteris esse non nisi homines.*

RATIO : Quia non constat de ullis Characte-
ribus respectu Angelorum.

ASSERO Tertio. *Christum non habuisse ullum
Characterem ; est assertum contra Mayroni-
um.*

RATIO : Quia Christus est insignitus emi-
nentiori Characterem, unionis cum Verbo.

ASSERO Quarto. *Probabile est Beatissimam ha-
buisse Characterem Baptismi & Confirmationis.*

RATIO : Quia verè illa Sacramenta rece-
pit, & nihil obest quominus dicatur illum ef-
fectum posuisse prædicta Sacramenta : non tra-
xerunt quidem secum remissionem peccati,
quia nullum habuit, sed cur non traxissent Si-
gnum Spirituale.

ASSERO. Quinto. *Characterem recipi in ani-
ma. Quia est qualitas Spiritualis ; & potentia,
quæ alias illum recipere deberent sunt
distinctæ ab ani-
ma.*

